



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. in dirimentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ratio brevis est, quia potestas ad dispensandum non est contra ius, nec in alterius praeiudicium, immo bono communi favens, siquidem bonum est commune, adesse eos in Republica, qui subditis consulere, per dispensationem possint. Aliqua limitationes vide apud eundem Sanch. l. c. d. n. 2.

2. Dixi (generaliter, & cum omnibus) nam si hæc potestas dispensandi concedatur alicui per modum mandati, ut solet pro dispensationibus Matrimonialibus, in quibus sic v. g. dicit Pontifex Delegato: *Dispenses cum Petro, si ejus preces veritate nitantur*, vel, quamvis potestatem hæc, vel similia verba non apponantur; tamen concedat Princeps Delegato potestatem dispensandi solum cum aliqua peculiari persona, si, inquam, sic potestas dispensandi concedatur, erit strictè interpretanda. Sic Sanch. l. 8. d. 2. num. 6. Ratio est, quia in hoc casu, concessio potestatis, vel est inchoata dispensatio, vel speciatim relata ad peculiarem dispensationem, & consequenter iuxta prædicta, esse stricti iuris debet. Sic exemplum illud, quod affert Conradus: Concedit absolute Pontifex Delegato, seu executori potestatem dispensandi super quarto gradu consanguinitatis in favorem v. g. Titii: Delegatus autem invenit, quartum ejusmodi gradum esse v. g. in eo duplicem, hoc est, ex duobus stipitibus esse Titium, & Bertam consanguineos, habetne executor potestatem dispensandi in utroque gradu? Sanè non habet, quia cum hæc potestatis concessio facta sit pro peculiari casu & persona, strictè est interpretanda. Quare intelligenda erit de uno quarto gradu, nimirum proveniente ab uno stipite, non vero ex duobus, vel pluribus.

CAPVT III.

De Potestate dispensandi Impedimenta Matrimonii, quæ residet in Summo Pontifice. Remissivè.

1. **E**am amplissimè residere in Summo Pontifice, sed quoad ea impedimenta, quæ non sunt de iure naturæ, sive impeditia, sive dirimentia, res est indigna, de qua dubitetur. De iure autem naturæ certo esse diximus supra, impedimentum ex errore personæ, ex ligamine, ex impotentia perpetua, ex consanguinitate in primo gradu rectæ lineæ. Adde ex impeditibus, Sponsalia, quia esset præiudicium alterius ex Sponsis; nisi fortè Summus Pontifex, ut Iudex illa sponsalia propter legitimam causam declararet irrita, vel esse dissolvenda.

2. Hæc sunt clara. Illud est controversum, an Pontifex possit dispensare in impedimentis Matrimonii quæ sunt de iure divino, id, quod cum ad frequentem praxim non pertineat, videatur, quando erit opus, apud Sanch. l. 8. matrim. d. 7. n. 4. Molin. d. 62. Coninch. d. 33. dub. 4. Perez d. 44. sect. 3. G. Hort. d. 26. Matrim. diff. 1. num. 5. & ex Iurisperitis Marc. Cutelli tr. 1. de Donatio. d. 2. particul. 6. d. num. 33. & præsertim n. 160. & 164. aliosque.

CAPVT IV.

De Potestate, quæ residet in Episcopo dispensandi Impedimenta Matrimonii.

§. I. De Potestate Episcopi dispensandi in Impedimentis solum impeditibus.

Loquimur solum de illis quatuor, quæ sunt hodie impeditia, Sacration tempus, Vestitum, Sponsalia, & Verum; facilisque est doctrina, nam potest Episcopus dispensare in primo, sed eo modo, quem infra cum

de solemnizat. matr. tr. 6. c. 4. §. 5. num. 4. dicitur, quod potestatem in secundo, quia est dispensatio in prohibita, ne à se, vel à Parocho, cuius ipse est Superior, dispensare possit in tertio, quia esset præiudicium alterius ex Sponsis; nisi fortè, ut Iudex, ea ratione, quod unus modo de Pontifice. Denique non potest in quocumque votum absolute Castitatis, & Religioni, hæc sunt reservata Pontifici. Quoad alia votum, advertendo, semper debere adesse in dispensatione cedenda rationabilem causam, ut lib. 3. in Dist. 4. §. 4. universaliter explicatum.

§. II. De Potestate Episcopi in Impedimentis dirimentibus. Præmittuntur aliqua scitu necessaria.

1. **P**raeter Impedimentum ætatis (in quo vixit) ma causa posse de iure Episcopum dispensare, quando malitia supplet ætatem, supra tract. 1. de Imp. cap. 13. §. 2. num. 20. vidimus, ubi etiam monimus, proximè esse, ut etiam in hoc solus Papa dispenses in alio impedimento dirimente potest ullam dispensationem Episcopus, per se loquendo, concedere, quoniam inferior potest quid in lege Superioris, quod hæc de Impedimentis dirimentibus. Leg. Castropal. tr. 3. de legib. d. 6. p. 4. aliosque passim.

2. Dictum est (per se loquendo) nam ex prædicto Summi Pontificis voluntate aliquando potest, & quæ in inductis à iure Ecclesiastico, nam ab aliisque episcopis dem Pontifex potest, ut diximus.

3. Id autem, ut facilius intelligatur, prænotare incipit in Universum.

1. Circa potestatem Episcopi in legibus Superioris esse duos loquendi modos. Alter docet Episcopum habere potestatem omnem dispensandi in dicta lege Superioris, exceptis solum iis in quibus à Superiore potestas & expresse limitatur. Alter docet, Episcopum multam dispensandi potestatem habere in dicta Superioris legibus, nisi solum in iis, quæ Superior positive concedat. Per hanc hanc sentiendi modum probabilior est illa Castropalensis, l. c. n. 8. Vnde videtur innuere potestatem probabilior, quem ut probabilem etiam docet Bonacina apud Castrop. l. c. n. 7.

4. Quoties in Sacris Canonibus aliquid prohibetur, sed additur impersonaliter, ut in eo possit dispensari, poterit tunc Episcopus. Sic habet Castrop. l. c. p. 1. Sanch. l. 8. d. 5. n. 1. Suar. d. leg. l. 6. c. 15. n. 6. Merolla d. c. 6. num. 178. & 182. & communiter. Cum enim certum sit, in iis posse Summum Pontificem, superius de huiusmodi clausula, nisi tunc potestas intelligatur Episcopis esse concessa.

5. I I. Merito addit idem Castropalensis, Episcopum dispensare posse in dictis Superioris legibus (etiam Concilii Generalis) Primo, in materia. Secundo, in lege non obligante ad culpam vitalem, sed ad solum veniale. Tertio, in casu aliquo extrinsecus vrgente necessitate, quando periculum est in morte, & non facilis est aditus ad Pontificem. Quarto, in casibus; quando nimirum dubium est negativum, ut casus indigeat dispensatione. Quinto in legibus propriis, non universalibus. Sexto, in iis casibus pro quibus prescripta est legitima consuetudo, ut possit Episcopus dispensare.

6. His præmissis, cum alia decernere ad institutum nostrum non pertineat, dispositionem nos restringimus ad sequentes quæstiones, ex quarum decisione non ignorabitur, quandonam Episcopus dispensationem expellat in impedimentis Matrimonialibus, possit.